

Georg Mejer   Joachim Rachel


## **Disputatio IV. Collegii Metaphysici : De Ente**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72911998X>

Druck   Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 916

35 1717





DISPUTATIO IV.  
COLLEGII METAPHYSICI  
DE  
ENTE

Quam

AUSPICE CHRISTO

*In alma Rosarum Academia*

PRÆSIDE

M. GEORGIO MEIERO

Duderstad. Sax.

*Defendendam suscipiet*

JOACHIMUS RACHELIUS

Gultroviens. Megapol.

*Ad diem 12. Septemb. horis matutinis.*

ROSTOCHII

Ex Typographia Stephani Myliandri

Anno 1715 CX.

COLLECTIO METAPHYSICARUM  
DE  
FINE  
Quam  
A. J. C. H. R. I. S. T. I.  
In alia R. S. P. A. C. A. D. E. M. I. A.  
P. R. A. S. I. A.  
M. G. L. O. R. I. O. M. B. I. E. R. O.  
J. O. A. C. H. E. L. I. U. S.  
R. O. S. T. O. C. H. I. I.  
Ex Typographia Stephani Mylinski  
Anno 1713. CX.

Ex  
Bibliotheca  
Academica  
Rostochiensis



## DE ENTE.

### Theorema I.

Vocabulum Entis variis modis accipitur.

**Q**uia Metaphysica scientiarum prima est & suprema, suum subiectum è superiori petere non potest, ideòq; cogimur hic iterum de Metaphysices subiecto agere, eiq; peculiarem pertractationem assignare.

II. Illud vero non uno modo à Philosophis usurpatur. Vel enim sumitur pro eo, quod Enti reali contradistinguitur, quo sensu etiam notiones secunda, privationes & res ficta Entia dicuntur: vel pro solo Ente reali, quod iterum vel per accidens Ens dicitur, vel per se. Per accidens Ens tribus modis dicitur, ut testis est Philosophus lib. 5. Metaph. c. 7. 1. quando accidens cum accidente conjungitur, ut  $\delta\iota\chi\alpha\iota\omicron\varsigma\ \mu\epsilon\tau\alpha\phi\upsilon\sigma\iota\kappa\omicron\varsigma$ , 2. quando accidens cum subiecto, ut  $\alpha\upsilon\theta\epsilon\omega\pi\omicron\varsigma\ \&\ \mu\epsilon\tau\alpha\phi\upsilon\sigma\iota\kappa\omicron\varsigma$ : 3. quando subiectum cum accidente unitur, ut  $\mu\epsilon\tau\alpha\phi\upsilon\sigma\iota\kappa\omicron\varsigma\ \alpha\upsilon\theta\epsilon\omega\pi\omicron\varsigma$ . Ens reale per se bifariam sumitur, 1. in latissima significatione, prout etiam ipsis Entis principiis & affectionibus competit. 2. in stricta, prout proprium & adequatum Metaphysices subiectum constituit, quod in sequenti theoremate describitur.

### Theorema II.

Ens est quod essentiam habet realem.

I. Ens quia genus est summum, ultra quod humana mens

A 2

non



non progreditur, definiri nequit, sed saltem describi, cui assertioni verissima sese opponit Timplerus lib. 1. Metaph. c. 3. q. 1. statu-ens Ens perfectè definiri posse, quòd supra se habeat intelligibile, aliquid, aliquid positivum. Sed non probat, data genera superiora aut latiora esse Ente. Contrarium probatum est facillimè, quia omnia cum Ente convertuntur. Omne enim intelligibile est Ens, omne aliquid est Ens, omne positivum est Ens. Nullū autem genus verum & legitimum cum specie sua convertitur.

II Superius quidem lib. 1. Met. c. 1. q. 5. pro sua sententia confirmanda Timplerus hanc adduxerat rationem, quod non Ens, etiam, adeoq. essentia & privatio essent intelligibilia, quare intelligibile latius Ente. Verum graviter hallucinatur Timplerus, res toto genere discrepantes ad idem referens genus. Nam Ens & non Ens quia sunt contradictoria, non video quo jure idem ipsidem assignari possit genus, intelligibile nimirum. Præterea nondum ostendit Timplerus, quomodo non Ens, sive id quod non est, intellectum nostrum ferire queat. Certè id quod intelligi debet, aliquid sit necessum est, non nihil. Essentiam quod attinet, sciendum est, illam esse id, per quod Ens est Ens, & sic veluti principij rationem habet, non quidem unius seorsim accepti, sed utriusq. conjunctim. Ut enim materia & forma conjunctim sumpta constituunt essentiam corporis: sic quoq. actus & potentia essentia Entis finiti tamen: Nam ut in Deo Ens & essentia sunt idem: sic quoq. omnem compositionem respicit Deus. Eo igitur modo quo essentia dicitur intelligibilis, dici etiam potest Ens, in latissima scilicet significatione, & sic intelligibile Ente non erit latius. Nec deniq. privatio latior est Ente, quia similiter pari ratione, quæ dicitur intelligibile, dicitur etiam Ens: Dicitur intelligibile, ut ita loquar, privativum, seu per privationem. Ergo dicitur etiam Ens privativum. Quare ratio Timpleri in firmum abiit.

### Theorema III.

Ens multipliciter dividitur.

Prima Entis divisio est in infinitum sive independens, & finitum sive dependens. Illud est Deus: hoc creatura. Altera in necessarium & contingens. Illud est quod aliter se habere nequit: hoc vero quod aliter se habere potest. Tertia in universale & singulare. Illud suam naturam aptum est existere in multis: hoc vero essentiam habet individuam, alijque incommunicabilem. Quarta in permanens & successivum. Illud est quod totam suam essentiam simul possidet: hoc cuius partes in perpetuo sunt fluxu, sive ut loquantur, fieri. Postremo Ens dividitur in Ens actu, & Ens potentia. E quibus illud est, quod reipsa existit: hoc quod non est, esse autem potest.

#### Theorema IV.

Ens & essentia realiter non differunt.

Quia essentia ipsum Ens totaliter constituit (per essentiam enim est Ens id, quod est) non potest hoc realiter ab illa distingui, idem namque a seipso distingueretur, quare ratione unum ab altero distingui statuimus. Absurdum vero illud, quod ex sententia hac deduci posse putat Templerus lib. 1. Met. c. 3. q. 2. nullum videlicet discrimen relinqui inter Ens creatum & increatum, metendum minimè est. Nam maxime adhuc discrimen satis ingens. Ut enim Deus Ens est simplicissimum: sic quoque ejus essentia simplicissima: Ens vero creatum quia non ita absolute est simplex, ut Ens increatum, neque etiam ejus essentia ita simplex esse poterit, ut essentia Entis increati. Quare quanta inter simplex & compositum intercedit differentia: tanta quoque intercedit inter Entis increati essentiam, & creati. Actus enim & potentia qua duo distincta sunt principia, constituunt omne Ens creatum, ut in sequenti disputatione fusius demonstrabimus. Rationes, quas habet Templerus, omnes discrimen quoddam esse inter Ens & essentiam probant, quod haud inficiamur, illud vero reale esse pernegamus. Hic tamen sicco, quod dicitur pede praterire nequeo, quod prima ipsi-

ratio asserens Ens & essentiam species esse oppositas unius generis, absurda sit. Ens enim supra se nullum aliud habere genus in precedenti theoremate probatum est.

### Theorema V.

Neq. essentia & existentia realiter differunt.

Distinguit iterum Timplerus inter Ens creatum & increatum dicens, existentiam in Ente increato quidem non differre realiter ab essentia: sed tamen in creato Verum quia existentia non habet peculiarem essentiam, non possumus sententia Timpleri locum simpliciter relinquere. Si enim haberet, illa essentia iterum distingueretur per aliam, & sic daretur progressus in infinitum, a quo natura abhorret. Præterea cum existentia neq. substantia neq. accidens sit, sed transcendens, non poterit ab essentia realiter distingui. Transcendentia enim realiter inter sese non distinguuntur. Quare statuimus existentiam ratione, non quidem nuda ratiocinante, sed ratiocinata, ut loquuntur, ab essentia in Ente creato differre, ad differentiam existentia in Ente increato, quæ sola ratione ratiocinante ab essentia differt. Vocant autem distinctionem rationis ratiocinantis eam, quæ non habet fundamentum in re, sed soli intellectus operationi debetur. Distinctionem vero rationis ratiocinata, quæ fundamentum quidem in re habere dicitur sed tale, quod non est præcedens aliqua in rebus actualis, distinctio.

II. Objicitur vero, essentiam sine existentia esse posse, cum rosa in hyeme essentiam quidem habeat, sed non existentiam. Jam vero quorum unum esse potest sine altero, ea realiter differunt. Ceterum quo modo rosa in hyeme essentia tribuitur, eodem etiam existentia eidem tribui potest, juxta illud: Qualis essentia, talis quoq. existentia. Rosa autem essentia non tribuitur actu in hyeme, quia latet in suis causis: sed potentia: Sic quoq. existentia non actu, sed potentia rose tribuitur.

Theore-

## Theorema VI.

### NIHIL non est intelligibile.

I. Posito uno absurdo, infinita alia sequi, testis est Philosophus; testis est tota rectè philosophantium schola. Hoc accidit Timpero. Is enim quia præter omnem rationē, contra omnes Metaphysicos Entes dari aliquid latius, intelligibile videlicet contendit, et jam in hoc absurdum incidit, ut statuat nihil etiam esse intelligibile. Sunt enim, inquit lib. I. Met. c. 2. q. 1. duo summa genera eorum, qua dicuntur intelligibilia, quorum unum complectitur ea, qua per se, hoc est, per propriam notionem sunt intelligibilia: alterum quod per accidens, hoc est, per notionem alterius. Porro inquit, nisi intelligibile esset nihil, multa principia Philosophica intelligi non possent, ut sunt: Quicquid est, aut est ex nihilo, aut ex aliquo: Ex nihilo nihil fit. &c.

II. Ceterum hæ rationes non tantum habent ponderis, ut propter eas à vulgata, & ab omnibus ferme Philosophis recepta sententia nobis recedendum sit, præsertim cum haud levibus nitatur fundamentis. 1. Quicquid enim intelligitur, aliquid sit necessum est: nam quod non est, intellectum non ferit. Si dicis nihil esse, cogeris eidem & essentiam tribuere: esse enim non est absq. essentia. Essentia verò quia nihilo denegatur, utiq. & esse. Quicquid namq. habet essentiam, est Ens: Ens autem non est nihil. 2. Nihil nullas habet proprietates, nullas affectiones. Non-Entis nullæ dantur affectiones, tritum habet Philosophorum effatum. Quicquid autem intelligibile est, certas habet affectiones, sub quibus intelligatur necessum est. 3. Ens & nihil sunt contradictoria: Nihil enim aequipollet non-Enti. Jam vero quicquid uni contradictoriorum tribuitur, id simul alteri tribui nequit. Si igitur Ens est & dicitur intelligibile: nihil intelligibile dici nequit.

III. Nil itaq. restare videtur aliud, quam ut rationes Timperi

pleri diluamus. Et prior quidem semetipsam evertit. Si enim Ens & nihil sub unum genus, intelligibile nimirum referri possunt, nihil concipietur sub notione non aliena per accidens: sed propria per sese. Nec negamus nihil esse per accidens sive notionem alienam intelligibile, sed eam ob causam non potest cum Ente ad unum aliquod genus referri. Neq; etiam hic quaeritur proprie, an nihil sit intelligibile per accidens, quatenus induit naturam & rationem Entis, quod nemo inficiatur: sed an sit intelligibile per se, quatenus consideratur ut species Enti opposita, qualem Timplerus fingit. Posterior nihil probat. Nam nihil in intellectu est per purum conceptum negativum. Et sic axiomata sive principia, quae à Timplero adducuntur, per negationem intelliguntur, non positionem.

### Theorema VII.

Aliquid & nihil æquipollent Enti & non Enti.

I. Tanta est theorematis hujus evidentia, ut vix à quoquam in dubium vocari queat. Sed est Timplerus id qui facere non erubuit lib 1 Metaph c. 2. q. 3. Inquit enim. 1. Aliquid latius patet quàm Ens: nam & essentia & privatio est aliquid, neq; tamen Ens: ipsumq; Fonseca sua assertionis patronum proclamatur, qui lib. 5. Met. c. 1. aliquid comprehendere Ens & non Ens, ait. 2. Non Ens suo ambitu complectitur tam aliquid quàm nihil: Essentia enim & privatio est non Ens, neq; tamen nihil, sed aliquid. 3. Non ens duobus modis sumitur à Philosophis, vel simpliciter, vel secundum quid. In priori significatione acceptum idem est quod nihil: In posteriori vero non æquipollent nihilo, sed semper de certo Ente, aut saltem aliquo enunciat.

II. Verum quis est, qui non animadvertat, quàm turpiter ludat, vocabulis Timplerus. In primo enim argumento eo modo, quo

quo essentia & privatio dicitur aliquid, dicitur etiam Ens. Con-  
 sideratur namq; aliquid duobus modis, uti etiam superius dictum.  
 Strictè & latè, quemadmodum & ipsum Ens: Strictè quidem pro-  
 ut aliquid & Ens propriè denotant subjectum Metaphysices: la-  
 tè vero prout prater subjectum etiam affectiones, principia, essen-  
 tiam, & privationè complectuntur Eadem igitur ratione, qua pri-  
 vatio dicitur aliquid, dicitur etiam Ens. In secundo similiter est  
 homonymia in voce non Entis, ut & nihili: Utrumq; enim &  
 non-Ens & nihil bifariam accipitur, vel pro non-Ente nega-  
 tivo, & nihilo negativo: vel pro non-Ente privativo, & ni-  
 hilo privativo. Qua ratione igitur privatio dicitur non-Ens,  
 eadem etiam dicitur nihil. Dicitur privatio non-Ens privati-  
 vum, dicitur & nihil privativum. Ex his videre licet, quomodo  
 aliquid sub se comprehendat & Ens & non-ens. Aliquid positi-  
 vum est Ens positivum. Aliquid privativum non est Ens, scili-  
 cet positivum, sed privativum. Tertium & postremum argumen-  
 tum nihil probat aliud, quàm quod non Ens negativum non a-  
 quipolleat nihilo privativo: et vice versa, quod libenter conce-  
 dimus. In equipollentibus autem non debet non Ens negativum  
 conferri cum nihilo privativo, sed negativo: nec non Ens priva-  
 tivum cum nihilo negativo, sed privativo. Et sic manebit verissi-  
 mum, quod aliquid equipolleat Enti, nihil vero non-Enti. Ac  
 proinde falsissima erunt tria illa porismata, qua circa finem qua-  
 stionis colligit Timplerus, quod videlicet 1. Ens non semper con-  
 tradictorie opponatur non-Enti. 2. quod inter Ens & nihil de-  
 tur medium. 3. quod non simpliciter nihil sit, cujus nulla est es-  
 sentia.

### Theorema IIX.

Ens non analogicè, sed æquivocè de Ente  
 reali & rationis prædicatur.

I. Quandoquidem Ens rationis non propriè est considerationis

B

Met.aphy.

Metaphysica, siquidem à subjecto Metaphysices removetur, uti  
theor. 5. superioris disputationis demonstratum est, non poterit eti-  
am species Entis universaliter accepti esse: si enim esset, rectè eti-  
am ad subjectum Metaphysices referretur, quemadmodum acci-  
dens ad subjectum refertur, propterea quod Ens de substantia &  
accidente analogicè, & secundum modum prioris & posterioris e-  
nunciatur. Præterea definit Philosophus homonyma sive equivoca  
ὄν ὁμοῦ μόνον καὶ ἄλλο, ἢ ἢ καὶ πῶς οὐκ ἴσως τῆς ἑαυτοῦ ἐγγύ-  
quorum nomen solum commune est, definitio vero essentia ad id  
nomen accommodata alia atq; alia, statim in frontispicio libri ca-  
teg: Jam vero Enti rationis nihil præter nomen Entis competit:  
perinde ut homini picto solum nomen hominis attribuitur: defini-  
tio vero & essentia non item. Nam non habet Ens rationis essentia  
realem. Quare non potest Ens genus esse analogum, sed equi-  
vorum potius Entis realis & rationis.

II. Hic vero iterum Timplerus sententiam contrariam propu-  
gnat. statuens Ens non esse genus equivocum Entis realis & ratio-  
nis, sed analogum sive ἁῆς: ev lib. 1. Met. c. 3. q. 6. Rationes sua as-  
sertionis habet hæc: 1. Quia Ens reale & rationis consentiunt  
inter se definitione generali Entis, dissentiunt autem speciali. U-  
trumq; enim est Ens positivum essentia præditum: sed differunt  
quod illud per suam essentiam reipsa etiam citra mentis cogitatio-  
nem subsistere aptum est: hoc vero sola mentis cogitatione ad mo-  
dum Entis realis fingitur, & citra eam nihil est. 2. Quia nullum  
Ens esse aut excogitari potest, quod ad alterutrum membrum di-  
visionis non possit referri. 3. Quia non tantum relatio, sed etiam  
diversitas seu distinctio Entium dividitur à Philosophis in rea-  
lem & rationis, tanquam genus in species oppositas.

III. Cæterum rationum harum prima falsa simpliciter est.  
Non enim definitione Entis generali conveniunt Ens reale & ra-  
tionis, siquidem hoc positivum non est. Et nescio quale fingat di-  
scrimen Timplerus inter positivum & reale. Putaram ego ter-  
minos

minos esse equipollentes. Nam omne positivum est reale. Et vice versa: Omne reale est positivum. Præterea habet utrumque essenti- am, sed non realem. Ens reale realem habet essenti- am: Ens vero rationis non item. Quando vero Ens definitur à scholasticis Dd. quod sit aliquid positivum essentiâ præditum, essenti- am intelligunt realem: hæc non competit Enti rationis, quare patet verum mini- mè esse, Ens reale & rationis definitione generali Entis inter sese consentire. Tandem dicit Timplerus, quod Ens rationis sola men- tis cogitatione ad modum Entis realis fingatur. Quid inde quaeso a- liud probat, quam hoc, Ens scilicet de Ente reali & rationis merè a quo vocè prædicari, ita ut Enti rationis nihil præter nudum no- men Entis attribuat? Altera ratio similiter erronea est. Licet e- nim concedatur, nullum Ens vel esse vel excogitari posse, quod non vel ad Ens reale, vel rationis referatur: tamen propterea non se- quitur Ens reale & rationis prædicari analogicè de Ente, aliàs e- nim pari Logicâ concluderem animal de homine & bruto analo- gicè prædicari: quia nullum animal est, quod non sit vel homo, vel brutum. Est insuper sibi ipsi contrarius Timplerus. Circa finem e- nim questionis negat privationem esse Ens rationis, reale vero il- lam esse haud facillè affirmabit, cum ipse Ens reale, positivum defi- niat: esset enim privatio Ens positivum. Sic itaq; colligo: Si datur quoddam Ens, quod neq; ad Ens reale, neq; ad Ens rationis referri potest, sequitur falsam esse rationem Timpleri. Atqui verum est antecedens: datur enim Ens privativum, quod non referri potest ad Ens reale, quia Ens reale est Ens positivum, teste ipso Timple- ro: neq; etiam ad Ens rationis, quia privatio non est Ens rationis, dicente itidem Timplero. E. Tertia & postrema ratio nihil probat. Que enim quaeso ratio est sequela: Ens à Philosophis dividitur in reale & rationis. Ergo Ens utriusq; genus est analogum? nulla. Eadem facilitate possemus nos concludere: Ergo Ens genus est a- quivocum Entis realis & rationis.

IV. Ex hisce videre licet, quid statuendum sit de illa quaestio- ne,



ne, quam informat *Timperus lib. 1. Met. c. 3. q. 8.* An doctrina generalis de Ente rationis ad Metaphysicam perineat? ubi ipse thesin affirmantem defendit motus tribus potissimum rationibus, quarum prima est, quod Ens rationis sub Ente universaliter sumpto directè tanquam species sub suo genere analogo contineatur. Secunda, quod Ens rationis per se sit scibile, multaq; habeat attributa cum Ente reali communia. Tertia, quod sine generali doctrina de Ente rationis multa neq; in Metaphysica, neq; in aliis artibus & disciplinis intelligi possint.

**V.** Nam primam falsam esse jam supra demonstravimus. Altera Ens rationis cum Ente reali confundit. Non enim illud: sed hoc tantum scibile propriè loquendo est. quia rerum, non conceptuum datur demonstratio. Deinde non exprimit, quamam attributa Ens rationis cum Ente reali habeat communia. Nos ita ratiocinamur: Quæ attributis conveniunt, re conveniunt. Atqui Ens rationis & reale re non conveniunt. E. Tertia nihil infert. Verum quidem est, quod doctrina generali de Ente rationis carere non possimus, sed indè sequitur, quod ex Metaphysica sit petenda minime, nam potest ex Logica peti. At inquis: Agitur tamen in Metaphysica de Ente rationis. Respondet *Svarez disp. 1. Met. sect. 1. dist. 5.* Non necesse est, omnia quæ aliquo modo considerantur in scientia, directè contineri sub adæquato ejus objecto. Nam multa considerantur obiter per quandam analogiam seu reductionem, vel ut eorum cognitione objectum ipsius magis illustretur, vel quia cognito objecto per analogiam ad illud, cognoscuntur cætera. Sic igitur quamvis hæc scientia multa consideret de Entibus rationis, nihilominus tamen merito ab objecto per se & directè intentio excluduntur.

#### COROLLARIA.

I.

An Ens omnium primò ab intellectu nostro cognoscatur? A.

II.


An detur unus aliquis Entis conceptus generalis, qui neque sit substantia neque accidens, omnibus tamen Entibus particularibus communis? A.


III.

An Entis per accidens detur scientia? N.









306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document